



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

653. An extinguatur pensio promoti per non expeditionem literarum super retentione pensionis: item an ea extinguatur, dum super ipsa reservatione pensionis non fuerunt expeditæ liter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 650. An extinguatur pensio per assumptionem pensionarii ad Cardinalatum?

Respondeo negativè. Card. de Luc. de pens. d. 75. n. 4. dicens, hodieum cessare omnem super hoc difficultatem ob Constitut. Sixti V. 79. de qua etiam Tond. sr. de pens. c. 79. n. 29. quâ declaratur, per promotionem ad Cardinalatum conferri vacare solum ea, quæ Cardinalitiz dignitati repugnare videntur, ut sunt Canonatus, & dignitates, aliaque beneficia residentialia, servitium personale in choro, vel Ecclesia annexum habentia, non autem simplicia, & consequenter multò minus pensiones. Sic quoque consuetudinem esse, ut promoti ad Cardinalatum, exceptis officiis (intellige, vacabilibus Romanæ curiæ, quæ dum excipit Urbanus VIII. in Constitutione sua, firmat regulam in non exceptis, adeoque retentionem reliquorum. Card. de Luc. loc. cit. n. 8.) nihil amittant de beneficiis, & pensionibus, imò nec de Episcopatibus, & aliis, quæ jam obtinebant, ait idem Card. loc. cit. n. 9. ex Paris. de resign. l. 3. q. 1. n. 67. & seq. qui quamvis ibi dicat, introductum consuetudine, ut Papa ferè in omnibus promotionibus concedat retentionem obrentorum promotis ad Cardinalatum; Card. tamen De Luc. loc. cit. n. 8. tradit, hanc retentionem pensionis eis competere independentè ab indulto aliis concedi solito retinendi incompatibilia, sive tale indultum speciale ad hanc retentionem non requirit.

Quaestio 651. An, & qualiter extinguatur pensio per promotionem ad Episcopatum?

Respondeo extingui in hoc casu pensiones, tenent communiter omnes. Card. de Luc. de pens. d. 75. n. 2. Ventrigl. to. 2. annot. II. §. 3. n. 32. Verùm, quantum est de jure communi, non extingui per hoc pensiones, sed solum ex stylo Curie, in vim cujusdam Extray. Julii II. quam anno 1520. Leo X. expressius innovavit Constitutione sua, quæ est in Bullario 36. decernendo, pensiones hujusmodi extingui, nisi in ipsamet cedula consistoriali desuper fuerit dispensatum. Quam Leonis Constitutionem confirmavit Clemens VII. Anno 1524. Constitutione sua 8. Hinc cessante hoc jure singulari, nulla est incompatibilitas inter Episcopatum, & pensiones. Card. de Luc. de pens. d. 43. n. 2. d. 58. n. 11. Lott. l. 1. q. 4. n. 7. 8. & 9. citans Hojed. de incomp. p. 2. c. 4. n. 4. & 5. Valenzuel. conf. 51. n. 41. & Rotam decis. 454. n. 9. p. 1. Divers. contra Gig. de pens. q. 56. Ferret conf. 13. n. 4. Verall. decis. 303. n. 1. & 2. p. 2. Gabr. conf. 200. l. 2. Quibus inhæret Garc. p. 1. c. 5. n. 11. dicens ex eod. Gabriele, sic stylym inveteratum habere, qui facit jus. Item Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 7. Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 102. Quos Lotterius ait, moveri falsâ imaginatione, dum æquiparant, & ideo confundunt pensiones cum beneficiis simplicibus, de quibus tantum loquitur textus c. cum in cunctis. de Elect. ut expressè facit Castrop. loc. cit. dum ait: extinguitur pensio per promotionem ad Episcopatum, quia per hujusmodi promotionem beneficia vacant. De cetero

2. Limitatur responsio primò: ita ut neque de jure communi, neque vi dictarum Constitutionum hæc extinctio pensionum se extendat ad Episcopos solum titulares in partibus Infidelium, dum

eorum Episcopatum possessio, & administratio non obtineretur. Card. de Luc. de pens. d. 43. n. 2. & d. 75. n. 2. Sic quoque non extingui pensionem per adeptionem unius ex sex illis Episcopatibus Romanæ vicinis, seu Cardinalitibus, utpote annexis ipsi Cardinalatui cum qualitate ancianitatis, & optabilitatis, utpote qui, dum non obligant ad residentiam (ut ultra plurimum sæculorum observantiam à Congregatione ad hoc specialiter deputata ab Alexand. VII. declaratum) sicut compatibles sunt cum alio Episcopatu actuali, beneficiis, & Commendis monasteriorum, ita multo magis cum pensionibus, tradit Card. de Luc. de pens. d. 58. n. 10. & 11. Hinc

3. Limitatur secundò: ut etiam in Episcopatibus actualem administrationem habentibus, ad hoc, ut extinguatur pensio, non sufficiat sola promotio, nisi concurrat consecratio, & adeptio possessionis, quia spectatur quòd ad hoc magis effectus, quam ipsa dignitas. Card. de Luc. cit. d. 43. n. 2. Ventrigl. loc. cit. n. 32. citans pro hoc Gratian. disp. for. c. 296. n. 1. & seq. quamvis velint alii apud eundem Ventrigl. quòd vacent pensiones prius post consecrationem susceptam ante trimestre datum ad eam suscipiendam, vel post trimestre illud, etiam non suscepta consecratione. De quo vide dicta suprâ, ubi de vacatione beneficiorum per promotionem ad Episcopatum, & huc applica.

4. Limitatur tertio: nisi accedat indultum super retentione pensionum. Card. de Luc. de pens. d. 75. n. 2. Ventrigl. loc. cit. n. 33. Quòd tamen indultum non suffragatur pro translatione pensionis, sive non intelligitur cum facultate translationis (etiam dum hæc facultas tali promotò competeat ante promotionem, ut expressè Ventrigl.) nisi fuerit specialiter expressa; cum translatio, utpote magis odiosa, quam retentio, speciali notâ sit digna. Ventrigl. loc. cit. n. 33. Card. de Luc. cit. d. 75. n. 3.

Quaestio 652. An extinguatur pensio per promotionem ad Abbatiam?

Respondeo: De Abbatia adepta, per quam priora beneficia vacant, idem, quòd de promotione ad Episcopatum circa extinctionem pensionum, sentiunt Garc. p. 1. c. 5. n. 112. Azor p. 2. l. 8. c. 10. q. 2. Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 2. & 8. Gig. q. 57. Gabr. conf. 200. l. 2. apud Castrop. loc. cit. n. 8. quamvis, ut Garc. id durum videatur Hojedæ de incomp.

Quaestio 653. An extinguatur pensio promoti per non expeditionem literarum super retentione pensionis. Item an ea extinguatur, dum super ipsa reservatione pensionis non fuerunt expedita literæ?

Respondeo ad primum: teneri promotum expedire literas Apostolicas super gratia retentionis pensionis cum Episcopatu, juxta quòd Constitutum à Sixto IV. & Julio II. pro ut referitur in Constitutione Leonis X. & Clem. VII. supra citatis, ita ut si promotus expeditis literis promotionis capiat possessionem Ecclesiæ, non expeditis literis super gratia retentionis pensionis, extinguitur pensio, tradit Ventrigl. loc. cit. n. 34. Lott. l. 1. q. 37. n. 14. & 15. Quòd si autem promotus impetravit Breve de capienda possessione Ecclesiæ ante expeditionem literarum promotionis, cum decreto annullativo promotionis, nisi infra tot menses

menses dictas literas expediret, in vi hujus Brevis possessionem acceperit, non tenetur sub pena extinctionis pensionis literas expedire supra gratia retentionis, nisi una cum ipsis literis principalibus super promotione. Ventrigl. cit. nu. 34. Lotr. cit. q. 37. an. 8. Non tamen tenetur expedire literas super retentione pensionis, qui permutavit Episcopatum; cum ista obligatio locum non habeat in permutationibus Episcopatum. Ventrigl. n. 35. Lotr. an. 24.

2. Respondeo ad secundum: Indubitatum esse, extingui pensionem, dum pensionarius ante expeditionem literarum exegit pensionem, ob decretum annullativum, adungi solitum in concessione pensionis. Card. de Luc. de pens. d. 71. nu. 1. juxta dicta à nobis supra. Verumtamen, an pariter extingatur pensio ob aliud decretum annullativum, adungi quoque solitum, si litera super reservatione pensionis non expeditur intra 6. menses, subdubitat, & in utramque partem rationes afferit idem Card. cit. d. 71. Nam etsi ex hujusmodi decretorum non implemento, seu contraventione resultet irritatio gratiae juxta communem, & plures Rota decisiones, & in specie juxta Tond. in tr. de pens. c. 37. in fine. apud Card. de Luc. loc. cit. n. 2. Verumtamen, cum hujusmodi decretum super expeditione literarum non adjiciantur pro substantia, & perfectione gratiae, sed pro interesse Officialium, ob emolumenta ipsis à talibus expeditionibus resultantia, poterunt tales Officiales, & Interessati, in quorum gratiam dictus terminus 6. mensium isti expeditioni praefixus est, renunciare juri suo, dictumque terminum prorogare, pro ut habere dicitur styli Dataria, & Cancellaria. Card. de Luc. loc. cit. n. 3. Pro cujus styli substantia servire posse hanc non incongruam rationem, nimirum, quod etiam contra Apostolicas Constitutiones, quarum vis non pendet à populorum usu, detur tamen non usus in Curia ob Papae tolerantiam, ait. Card. de Luc. ibid. n. 6. Et quamvis de hoc ipso principaliter disputando in contrarium respondere deberet, posse tamen à pensionario, qui neglexit expedire dictas literas, adduci saltem in excusationem sufficientem pro evitanda extinctione ex recepta propositione: quod consuetudo, quamvis mala, & quae reprobare meretur, in penalibus excuset juxta plenè deducta per Farinac. q. 95. Berojum. conf. 190. l. 3. Vermigl. conf. 159. n. 40. ait Cardin. de Luc. loc. cit. n. 7.

3. In contrarium verò facit regula communis, quod Cancellaria Officiales alterare non possint decreta Apostolica, vel substantia gratiae, & quod praemissa potius procedant, ubi agitur de incurrendo privationem beneficii jam obtenti, quod imponat penam formalem exigens delictum positivum cum dolo, & culpa inexcusabili, ita ut ad illam privationem evitandam sufficiat qualibet excusatio; secus autem sit ad effectum praesentis controversiae super reservatione pensionis, ut illa exigi possit; cum ita non adimplendo decretum, sit potius non adimplere conditionem emolumentum obrinendi, seu juris quaerendi, ad quem effectum sufficiat ipsum non adimplementum de facto. Card. de Luc. num. 4. & 5. Unde consideratis hisce, ait idem, se reflectendo ad veritatem, maturum efformare de super judicium adhuc non potuisse, sed expectari Rota judicium, praesertim, cum dicti Officiales Cancellariae, & Expeditores

vehementer instarent super dicti styli, quem esse certum, & notorium supponebant, observantia.

Quaestio 654. An pensio extinguatur, dum Pensionarius assequitur beneficium gravatum pensione, vel aliud beneficium?

1. Respondeo ad primum: Extingui pensionem in hoc casu, cenfer Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 13. ed quod tunc cesset jus percipiendi ex alieno beneficio, sicut cessat usufructus proprietate rei acquisita. l. si tibi fundi. ff. quibus modis extinguatur usufructus. Dicit autem, non sufficere, ut pensionarius beneficium obtineat (intellige, de facto tantum, sicut non sufficit ad amittendum, quod usufructuario legetur proprietates ejusdem fundi, si proprietates haec ad alium, quam legantem pertinebat. Econtra Azor. p. 2. l. 8. c. 10. q. 7. sentire videtur, non extingui in hoc casu pensionem; ed quod, si extingueretur, nunquam revivisceret sine auctoritate Superioris de novo eam reservantis; sed potius dicendam consolidari cum beneficio, ut usufructus solet quandoque cum proprietate continuari, ita ut tunc quamdiu consolidata est, sopita tantum, & non extincta censetur; unde si pensionarius ille privaretur suo beneficio, in quo constituta pensio, remaneat tamen illi pensio, seu jus, & potestas petendi pensionem à possessore illius beneficii. Quod si jam pensionarius iste adeptus illud beneficium, dimittat illud denuo, remansuram illi pensionem eidem beneficio impositam, si necessitate compulsus faciat illam dimissionem; ed quod alius, qui in eo jus praetendebat, intentata lite illud evicit, astruit idem Azor ex Gig. de pens. q. 49. Quae admodum contingit in usufructuario. l. Dominus. ff. de usus. & quemadmodum quis utatur, ubi dicitur: Si usufructuario fundi proprietates per dominum legata fuerit, & demum usufructuarius illam fuit coactus restituere, tanquam ad alium pertinentem, videlicet ad eum, qui egit querelam inofficiosi testamenti, & obtinuit; tunc usufructus manet apud restituentem proprietatem, apud quem prius fuerat & c. admittit hoc ipsum facile Castrop. dum recte dicit, non extingui pensionem per obtentionem istius beneficii, dum haec est obtentio de facto tantum, & non de jure. Econtra, ut idem Azor ex eod. Gig. dum talis (utpote habens verum jus in illo beneficio) dimittit illud liberè, seu sua sponte, non remanebit dimittenti pensio (intellige, nisi de novo illa ei conferatur) sed extinguitur illa; quemadmodum de usufructu dicitur in l. cum filius. ff. de legatis. ubi si dominus fundi, cujus usufructus erat alterius, illum usufructuarium suum universalem heredem instituat, & illum fundum Titio leget, haeres usufructu non retento legatario consignare debet.

2. Respondeo ad secundum: Pensionario obtinente aliquod beneficium, non extingui praehabita ab eo pensionem alteri cuidam beneficio impositam, quia pensio est compatibilis; cum jura non prohibeant habere simul pensionem cum beneficio, tradit Azor. cit. loc. q. 8. citans Gig. de pens. q. 50. Verumtamen vide dicta supra, ubi de incompatibilitate desumpta ex jure naturae plurium beneficiorum inter se, vel pensionum inter se, vel pensionum cum beneficio, dum pensio sola, vel solum beneficium sufficiens est ad congruam sustentationem.

Quaestio